



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. IV. Quando, & in quibus casibus Clerici non gaudeant privilegio fori
Ecclesiastici?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

res in seminario aliquo Clericorum vel in aliqua schola, vel in Universitate aliqua, de licentia Episcopi, quasi in via ad majores ordines suscipiendos versentur. Et quamvis hoc fori privilegium rectè ad Clericos conjugatos, qui cum unica eaque virginæ (ab alio non corrupta) contraxerunt, & dictas condiciones observant, extendatur, probabilior tamen dici potest, quòd in criminalibus tantum hi hoc fori privilegio gaudeant, sive si de crimine puniendi sint, criminaliter, sive civiliter conveniantur: rectius tamen hoc fori privilegium ad uxores legitimas talium Clericorum, uti & liberos eorum non extenditur, cum privilegium hoc sit privilegium personale, & uxores in illis tantum fortiantur forum mariti, qui cum ipsis communicari possunt, multò minùs extendi debet ad concubinas Clericorum (quarum delicta cum Clericis commissa, rectè dicuntur mixti fori delicta) ad familiam Clericorum, ad rusticos & colonos Clericorum, &c. de quibus tamen cum jura nihil speciale ratione fori statuunt, juxta jus commune cum illis procedendum est. Rectius tamen hac in re videtur consuetudini adscribendum, quod nonnunquam fit, quàm juris privilegio.

Gaudent autè hoc fori privilegio etiam Monachi, & Regulares omnes utriusque sexus; etiam Laici conversi, Novitii, oblato, Religiosi ordinum militarium, Fratres tertii Ordinis S. Francisci; Eremitæ, qui tria substantia vota religiosa emisserunt; vel si tria hæc vota non emisserunt, vivunt tamen communiter in Congregatione aliqua, juxta ritum ab Episcopo approbatum; vel si solitarii vi-

vant, deferunt tamen habitum & tonsuram, & sunt auctoritate alicujus Episcopi, Episcopo ad servitium alicujus Ecclesiæ deputati, & vivunt sub obedientia Episcopi, & si hospitalia sint auctoritate Episcopi erecta, etiam hospitalarii, si in talibus domibus vivant, & talium hospitalium incolæ, qui sub obedientia dictorum hospitaliorum vivant, privilegio fori gaudent, quia omnes isti nomine personarum Ecclesiasticarum in latiori acceptione venire possunt, attendenda tamen multis consuetudo est.

§. IV.

Quando, & in quibus casibus Clerici non gaudeant privilegio fori Ecclesiastici?

PRimò, Clerici beneficiati, in sacris constituti, si habitum & tonsuram nunquam deserant (ita ut Laici passim habeantur, sine ulla justa causa, & ab Episcopo suo ter moniti, eum non reasumpserunt, vel semel in Synodo generali quidem sub expressa tamen comminatione privationis privilegii fori, privilegium hoc amittunt. *In audientia 25. & c. Contingit 45. De sententia Excom.* Ita tamen ut si postmodum (sine fraude supert fugiendi fori secularis) ea assumpta sint, privilegio hoc gaudeant, cum in tali casu non absolute, sed præcisè propter dimissum habitum & tonsuram privilegio fori non gaudeant, ergo his assumptis privilegio suo gaudebunt, modò nihil in fraudem fori alterius factum sit.

Secundò, si propter delictum, & subsequentem incorrigibilitatem excommunicati Clerici etiam in sacris constituti fuerint, & in contumacia perseverent, ipso

ipso jure amittunt privilegium fori, & fori secularis fiunt; si tamen per sententiam iudicis Ecclesiastici declaretur incorrigibilitas, & actu tradatur potestati seculari *c. Cum non ab homine 10. de lud. & c. Per fama 35. De sententia excommunicationis*

Tertiò, si se immisceant enormitatibus, sive multa enormia delicta committant, privantur ipso jure fori privilegio Clerici, quamvis in sacris constituti sint, saltem post trinam monitionem Episcopi, & ut aliqui putant, post degradationis realis sententiam, & actua-lem traditionem seculari Magistratui factam, quod conformius iuribus est.

De aliis casibus, in quibus Clerici perdunt privilegium fori, vide *c. Vincum De vit. & honest. Cleric. in 6. & Clement. 1. eodem c. 1. De homicidio in 6. c. 2. De penis in 6.* Et quamvis qui iudicari non potest à seculari Magistratu, nec ab eo capi possit, & in carcerem conjici, sunt tamen plures etiam casus, in quibus secularis Magistratus etiam Clericos capere potest, non obstante fori privilegio, quod contra talem captivam nihil illis patrocinetur: Sic primò capi potest Clericus à seculari Magistratu (ex tacita saltem commissione Magistratus Ecclesiastici) si in delicto deprehensus fuerit, aut debita gravia contraxerit, vel gravi injuria Laicum affecerit, &c. & de fuga suspectus sit, non ut ab eo puniatur, sed ut suo Magistratui Ecclesiastico puniendus tradatur. Secundò, ut præveniatur delictum committendum, ut si de nocte armatus incedat, & suspectus sit de homicidio committendo. Tertiò, quando expressum mandatum habetur

ab Ecclesiastico Magistratu, ut ob delictum commissum capiatur Clericus. Quartò denique quando impunè verberari potest à Laico, *juxta c. 3. De sent. exco.* In tali enim casu etiam capi potest. De eo tamen, utrum quis Clericus sit, si hanc exceptionem ad forum declinandum opponat aliquis, cognoscere debet iudex Ecclesiasticus, uti etiam, si quis fraudis arguatur in assumendo, aut resumendo statu Clericali.

§. V.

Quo jure Clerici, aliæque personæ Ecclesiasticæ sint exemptæ à jurisdictione, & potestate seculari, num postivo tantum seu humano, an etiam divini & naturalis?

Qui Clericos & alias personas Ecclesiasticas jure Divino & naturali exemptum à Laica potestate, & jurisdictione, multi sunt, & non levia fundamenta habent suæ opinionis, non tantum ex antiquo testamento, ubi Levitarum tributi nulli alii tribui subdita fuerat, sed soli Aaroni, & successoribus Sacerdotibus summis, &c. sed etiam ex novo *Matth. 23.* ubi Christus seipsum, & Petrum à solvendo tributo eximi putat, &c. & ex jure Canonico *c. Quamquam 4. De censib. in 6. & ex Trident. sess. 25. c. 10. De refug.* Et ex ratione denique, eò quod persone tales sint in sortem Dei segregatæ, in ergo alia inanimata, in ministerium Dei peculiariter selecta, uti sunt sacri Calices, sacra Altaria, Tempa, & vasa alia Altari ministerio dedicata, à profano usu, & civili dispositione exempta sunt de jure naturali & divino, cur non etiam persone Eccle-